Verbs, which the Abbot paſſes over in his Letter, and Concludes that the word *Germanes*, which the *Romans* gave the *Teutons*, ſhewed the great Friendſhip between them and the *Gauls* or *Celtes*, as *Strabo* well obſerves, were like Brothers.

IV. Illuſtriſſimo Celeberrimoque Viro D. Godefredo Gulielmo Leibnitio, Hanoveræ.

Oxoniæ, Apr. 20. 1699.

Illuſtriſſime Vir,

TU novis me continue cumulas beneficiis: Talia ſiquidem reputo tuas Literas. Quarum ego aliquot (te permittente) meis interſerui; ut Gemmas & Ornamenta. Neque tibi erit dedecori, te ea dudum fuiſſe meditatum, quæ etiam nunc non forent contemnenda.

Ultimæ tuæ, 30 Martii datæ, ſerius huc acceſſerunt quam ut poſſent præcedentibus aſſociari; quum totum illud opus abſolverant Typographi; iſtiuſque ego duo exemplaria tradideram Juveni *Menkenio* (D. *Menkenii* filio) quæ ſuſcepit ille ſe Parenti ſuo tranſmiſſurum, indeque eorum alterum ad Te transferendum (quod factum iri ſpero) dicitque, jam eſſe in itinere; Idemque Juvenis ingenuus, qui apud nos egit aliquandiu, ad Patrem die craſtino ait rediturus, eſt harum lator.

Ludovicum Ferrarium, *Bombellio* priorem, Æquationem Biquadraticam in duas Quadraticas diſtribuiſſe, ipſo *Bombellio* id ſponte agnoſcente (& *Cardano* pariter comprobante,) ego te monente jam reſciſco. Et quidem ſuſpicor, me id olim apud *Bombellium* legiſſe; ſed, cum illud jam ante multos annos factum fuerit, iſtius ego eram plane oblitus; tibique gratias habeo quod

quod candide monueris. Quod de illo peculiarem ſcripſerit diſſertationem Cardanus, vel neſciebam vel oblitus eram.

De Æquationibus Superiorum graduum, exponentem habentium numerum compoſitum, ad inferiorem reducendis cujus exponens ſit numerus incompoſitus proximè minor; ego plane juxta tecum ſentio. Atque in hunc, credo, finem, Harriotus tot paradigmata ſubjecit Æquationum Inferiorum, ex quibus Superiores componi poſſent, atque in illas reſolvi.

De differentiis Infiniteſimarum-infiniteſimis explicandis, non eſt ut ſis porro ſolicitus. Nam, ut tu mihi facilis concedis, *quod nihili quodvis multiplum ſit adhuc nihil*; eadem ego facilitate tibi permitto, ut *Differentias infiniteſima, in infiniteſimas ductas*, tu merito *negligas*; poteſtque id tuto fieri, modo caute, (quod ego *vos feciſſe*, diſerte dixeram.) Quippe, in quovis genere Quantitatum, *quæ differunt dato minus*, reputanda ſunt *Æqualia*. Quo nititur *Exhauſtionum* doctrina tota, Veteribus pariter & Recentioribus neceſſaria. Methodo tua, cum tibi uſui ſit, quo utaris non repugno.

De $\sqrt{-bb}$ ſeu $b\sqrt{-1}$, jam ante dixi (quantum mihi videtur) ſatis; neq; jam vacat rem eam penitius excutere.

Quod tu quereris, Remiſſius nunc tractari altiora ſtudia; &, Pauciores eſſe Naturæ obſervatores diligentes; quadantenus verum eſſe non diffiteor. Sed mirandum non eſt, (ut res alias, ſic) hominum Studia, ſuas habere viciſſitudines. Præſenti ſeculo (quod jam ad finem vergit) Eruditionem, in omni rerum genere, inſignes (& quidem inſperatos) proceſſus obtinuiſſe, certum eſt; in re Phyſica, Medica, Chymica, Anatomica, Botanica, Mathematica, Geometrica, Analytica, Aſtronomica, Geographica, Nautica, Mechanica, ipſaq; (quod minus lætor) Bellica. Et quidem longe majores quam per multa retro ſecula obtinnerat. Quippe quibus vix

aliud ſibi propoſuiſſe videntur homines, quam, ut intelligere videantur quæ ab Euclide, Ariſtotele, cæteriſq; ex antiquis jam olim fuerint tradita ; de progreſſu porro faciendo haud ſoliciti ; quaſi ſcientiarum metas poſuerint illi, quas tranſcendere ſit nefas. Cum vero auſi ſint aliqui (& quidem pauci) ultra proſpicere ; facti ſunt alii animi, late patentem campum ingredi. Et res novas aggredi, novus ardor, novus impetus impulit ; nec infeliciter. Sed, poſtquam hæc deſiit eſſe res nova ; hic novus ardor deferbruit. Mortui ſunt ex ſedulis indagatoribus non pauci alii morituri : Juvenes que non accendebat (ut antea rerum, Novitas.)

Sed et ipſa materia erat magna ex parte exhauſta ; ut non tam. Meſſiis jam ſperanda ſit quam Spicilegium. Equidem, jam feſſis & fatigatis permittendum videatur, ut quadantenus quieſcant, et que hinc factum (pro variabili naturæ hominum,) quod ſeveriora ſtudia negligantur Fieriq; forte poteſt, (quod tamen ominari nollem) ut præſentis ſeculi diligentiæ ſuccedat deſidia ſequentis.

Optas Tu (& quidem ego pariter) ut, ſicut Gallorum Academica Scientiarum jam videatur reſtituta, ſic Noſtræ Societati Regiæ novus calor infunderetur. Atque hoc ipſum jam modo monui tuis verbis. Sed & ipſi (quod tibi non diſplicebit) reapſem me monentem prævenerant ; qui jam nuper ſibi novas leges poſuerunt, varias hujusmodi Inquiſitiones viritim promovendi. Sed & inter Gallorum illam Academiam, noſtramq; Societatem, hoc intereſt Diſcriminis ; Fruuntur illi ſumptibus Regis, ſuiſq; gaudent ſingulatim Salariis. Noſtri ſuis ſumptibus agunt omnia.

Verum etiam, ubi obtinueris quod ego tibi nuper niſi Volumen meum Tertium ; videbis, in *Flamſtedii* ad me Epiſtola, non plane otioſos noſtrates eſſe ; ut qui, tum Fixarum loca plurima a ſe ſedulo obſervata narrat ;

tum

tum nobile exhibet Phænomenon, Parallaxeos Orbis Annui Tellùris, ab ipſo deprehenſum, & continuis Annorum Octo obſervationibus inter ſe collatis ſtabilitum. Phænomenon per aliquot retro ſecula fruſtra quæſitum, & fere deſparatum, nunc in Anglia primo detectum.

Literarum exemplar tuis incluſum, mittendum curavi (quod tu petis)ad D. Epiſcopum nuper *Aſaphenſem* nunc *Lichfieldi-Coventrienſem*, mox futurum *Wigornienſem*, (ſeu *Worceſtrenſem.*)

Idq; mihi jam in mentem revocat Tractatum bene longum, cujuſdam *Olai Rudbeck*, Succi ; ante Annos (ſi ſatis memini) quaſi ſexdecim (aut etiam plures) editum, (ſaltem ſub id tempus a me conſpectum ;) quo deducere ſatagit, ex veterum Mythologia, res Hiſtoricas, quæ Fabulis hiſce fecerint occaſionem ; et ſpeciatim,ex *Homerica* narratione Itinerum *Ulyſſis* (poſt captam *Trojam*,)deducit eum (partim Navigio,partim Terreſtri itineres,Septentrionem verſus,atq; ad extremas oras *Sueciæ* Septentrionales ; ubi figit *Rudbekins Columnas Herculis*, (non ad fretum *Gibraltar*;) indeq; per oras *Norwegiæ*, (jam dictæ) Inſulaſq;*Britannicas* circumvectum, perducit ad *Phæacum* Inſulas (jam *Canarinas* aut *Aſores* forte dictas;) indeq; per fretum *Gibraltar* & *Mediterraneum Mare*, ad ſuam tandem *Ithacam* reſtituit. Omniaq; hæc, ex Poetarum Mythologia deſumptis characteribus, adorant haud inveniſte ; ut, ſi vera non ſint, magnam ſaltem habeant veri ſimilitudinem. Id autem ego inibi ſpeciatim notavi quod habet ex Poetarum quodam veterrimo, (cujus ego nominis jam ſum oblitus,) de quadam Inſula (prope *Britanniam*) tum olim a Mari abſorpta ; unde Mare totum, circum circa, redditum eſt longo tempore lutoſum, & cæno turbidum, ut per plures *Annos* navigari non potuerit ; donec tandem, diſperſo ſenſim luto, ad ſtatum eum redierit quem jam cernimus.

Qualis fuerit hæc inſula, aut ubi particulatim ſitas non memini quod *Rudbekius* diſerte dicit; nequidem ex conjectura. Sed mihi ſubiit cogitare (cæteris ſtantibus,) hoc inſinuari poſſe, Rupturam Iſthmi, quo Britannia fuerat olim (ante omnem harum rerum certam Hiſtoriam) cum Gallia conjuncta. Quippe ſi talis fuerit olim Iſthmus, marium impetu Britannici & Germanici coeuntium (Iſthmumq; marino Æſtu, utrinq; verberantium,) ruptus, (quod non eſt inopinabile,) neceſſe eſt ut inde talia obvenerint Phænomena quæ narrantur. Non enim tota moles Iſthmi foret uno impetu diſcuſſa; ſed, poſt quam Marium alterum, Iſthmi ſummum tranſcenderat, molemq; illam (eundo & redeunda) ſenſiam abluerat; lutoſum interim turbidumq; factum eſt (propter Maria jam conjuncta, quæ fuerant Iſthmo pridem diſterminata; indeq; ortum inſuetum Marium horum motum,) haud Navigabile; donec, turbidis hiſce mo tibus tandem compoſitis, in pacatum ſtatum rediret. Ego nihil hac in re ſtatuo, ſed rem totam pernitius conſiderandam permitto. Ad id quod Tu alicubi quæris, de Litoribus Gallico & Anglicano; Hoc porro dicendum putem; Præruptos Clivos atq; præ altos (congeneris Materias, & ſimili ſitu, quaſi ad perpendiculum) erectos ad *Dubrim* & *Caletum* Longum tractius contra poſitos (ubi eſt breviſſimus Trajectus ab Anglia in Galliam) magnam præſi ferre ſpeciem, quaſi fuerint olim aliquando (ante hominum memoriam) Iſthmo continuati, nec niſi rupto Iſtmo (qui Angliam forte cum Gallia conjunxerat) ſeparati; & quaſi dilacerati, Multoq; quæ dudum me legiſſe memini, apud *Rudbekii* Atlanticam (ſed quæ poſt tot Anno, non jam diſtincte reminiſcor a veteri neſcio quo Scriptore deprompta, mihi videntur hac ſpectare. Quæ ille aliam trahit; puta, ad Inſulam (neſcio quam) quam ſupponit ille a Mari abſorptam; unde factum ſit Mare (per multos Annos) cænoſum, tervidum, & innavigabile, ſed huic Iſtma (ſiquis olim fuerit) hæc aptius convenirent. Tu interim vale; atq; favere dignare.

Tui obſervantiſſimo

P. S. *Aug.* 29 99. *Johanni Wallis.*